



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Monachi bonae indolis, ad Academias mittendi. 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Matth. 4. matura fortior ad resistendum diabolicis insidiis ac jaculis, quam gladius ille spiritus, quod est verbum Dei; quo Christus, in deserto solitarius, jejuniis & orationibus vacans, & nihilo secius temptationibus diabolicis expositus, retudit omnem diaboli fraudem ac nequitiam. nihil quoque potentius illo ad dejiciendos, ac vicissim consolandos animos nostros, nihil efficacius ad concitandum mentem in amorem Dei, contemptum mundi, ac omnium quæ in mundo pulchra ac speciosa apparent.

CAP. VII. *Monachi bonæ indolis ad Academias mittendi.*

NEque Nobis displicuerit, ut aliquot ex Monachis bonæ indolis, ad Vniversitates publicas & bene Christianas, aliquot annos Theologicis studiis operam navaturi, mitterentur; illic tamen non alibi, quam in Monasteriis seu Gymnasiis, sub cura & oculis præceptorum commoraturi; ne, bonis ac rectis studiis destinati, mores minime monasticos imbibant ac contrahant.

CAP. VIII. *Moniales non esse alligandas, ut nulli quam suo (ut vocant) Patri aut Præposito confiteantur.*

SInt præterea in Monasteriis, virginum præsertim, præter Abbates aut Præpositos, alii conscientiarum examinatores ac à confessionibus. Aut saltem virginibus liberum sit, bis aut ter in anno aliis (quos elegerint) probis ac doctis viris, de suorum Superiorum (ut vocant) consensu (quem hi, interpellati, rationabili causa intellecta, nequaquam negabunt) conscientias suas exomologæ exponere exonerareque; ne scilicet adigatur Monialis, renitens, semper uni homini delicta confiteri. Debent autem hi, qui ejusmodi munere in Monasteriis Monialium funguntur, esse homines vitæ probatissimæ, ac morum quam maxime inculpatorum, eruditi ac singularis judicii, observaturi ea, quæ supra, ubi de Pœnitentiæ Sacramento tractatum est, delibavimus. Cavebit autem is inprimis, criminum non confessorum rememorationem; ne virgines discant, quæ prius nescierunt. Cavebit præterea, nisi res omnino exegerit, duritiem increpationis, magis intentus ad modestissime arguendum, & pientissime vicissim consolandum. Confessiones autem Monialium non privatim audiet, sed in cæterarum conspectu; non tantum ut omne malum, sed & omnis mali suspicio omnino cesseret.

CAP. IX. *Mutatam esse paulatim faciem Monasteriorum, ac usurpatum hospitii jus, simul cum accessu, moderandum.*

Monasteria; olim virtutum scholæ ac pauperum hospitalia erant: nunc, proh

dolor, videmus ea, quæ virorum sunt, è scholis virtutum, in diversoria militum ac raptorum, quæ verò mulierum sunt, in plerisque locis in suspectas de incontinentia domos (ne quid gravius dicamus) esse commutata. Quamobrem dispiciendum Nobis est, ne tam passim à quibusvis militibus hospitii jus à Monasteriis vi exigatur, & Eleemosynæ, pauperibus deputatæ, improborum luxu devorentur, neve ad Monasteria Virginum accessus, toties à sacris Canonibus prohibitus, pateat: & ut, qui deprehenso præter hæc fuerint, offendiculum aut occasionem illis labendi, sive intra sive extra Monasteria, dedisse, dignas pœnas ferant.

CAP. X. *Visitatio Monasteriorum necessaria.*

Visitatio ergo Monasteriorum quam maxime opus esse, intelligimus; quam & Canones nobis imponunt. In hoc verò oportebit omnia ad Regulam Ordinis Monastici exigere, nihil non ad pietatem & vitæ sanctimoniam dirigere, &, quicquid mali exemplo aut improbæ consuetudinis irrepsit, penitus tollere ac eradicare. Profecerit quoque hic, examinari Regulas, statuta & consuetudines, tolli superstitiosa.

CAP. XI. *Sumptuosi Monialium Præpositi abrogandi, & frugales æconomi constituendi.*

Habent quædam Monialium Monasteria sumptuosos Præpositos, sub quorum potestate quum omnis Bonorum administratio sit, ipsi de redditibus Monasticis luxuriantur; &, qui Monasticæ conversationis exemplum esse debuerant, ad mundi delicias revolvuntur; fastidientes interdum simulam & mella; interim Monialibus ipsis vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturantibus. Sunt quoque Virginum Monasteria, ubi non est victus & mensa communis, sed mos ille (quem ad Corinthios scribens Paulus, quamvis in longe sacratori convivio, damnavit) quotidianus, nempe quod unaquæque suum cibum præsumit ad manducandum; & alia quidem esurit, alia vero ebria est. Quos abusus tollere necessarium putamus; videlicet, ut, in illorum delicatolorum Præpositorum locum, probi æconomi, à Nobis comprobandi (quorum victus sit Monastico similis) surrogentur; qui etiam obligati erunt singulis annis rationem de receptis ac erogatis integram reddere.

CAP. XII. *In Monasteriis Monialium, victum ac mensam communem esse oportere.*

Idem ut Moniales victum ac mensam communem ubique habeant, &, quæ pari sunt

c. 1. de immut. Ecles. c. Monast. de vit. & honest. Cler.

c. in singul. parag. Porro Dixit. de statu Mon.

Hieron.

I Cor. II.

c. Osius. q. 3. c. qui relig. 17. q. 2.